

DE S. FERREOLO EPISCOPO EJUSQUE REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

Gregorius Turon. Hist. Franc. lib. vi, cap. 7 : *A* ejus partem in Concordiam regularum transtulit. *Eo tempore Ferreolus Ucetiensis episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia et intellectu : qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit.*

S. Benedictus Anianæ abbas hanc quoque S. Ferreoli episcopi Regulam sæpius laudat, et maximam

Sinaragdus etiam multa ex ea affert ad Expositionem Regulæ S. Benedicti.

Joan. Trithemius, lib. de Proprietate monachorum, cap. 5 : *Denique in Regula cænobii sancti Ferreoli episcopi et martyris decimo capitulo sic scribitur : Illud etiam statui debere prospeximus, etc.*

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

S. Ferreolus Uzetiensis in Occitania episcopus, circa annum 558 monasterium pro monachis construxit, quod etiamnum a suo nomine Ferreolacense Cœnobium nuncupatur. Pro monachis ergo hujus cænobii hanc præsentem Regulam conscripsit piissimus pontifex, triginta novem capitibus contentam, quam Lucretio Dicensi episcopo dedicavit, ejusque censuræ subje-

cit. Multa habet ab aliis antiquis regulis diversa, nec illarum mentionem facit. Præsertim hoc singulare videtur, quod capite 38 præcipiat ut abbas culinæ inserviat tribus solemnioribus monasterii festis, nimirum in Nativitate Domini, in Paschate, atque in festo S. Ferreoli martyris, qui fuit patronus monasterii.

PRÆFATIO REGULÆ S. FERREOLI EPISCOPI

Domino sancto et cæterorum comparatione sanctissimo, ac socio apostolorum, Christique discipulo, Lucretio papæ Ferreolus episcopus.

Hortatus quondam operante Deo, in una devotione accensus, in qua servorum Dei habitaculum ipsa sibi divinitas collocaret, ipse terra obtuli aliam terram conferens. Quod deputo sanctæ congregationi, hoc mei donari saluti credo : ut in unum more apum religiosorum turba collecta, dum pro meis plene peccatis orationum suarum flores offerant, quam dulcia in intercessione mella conficiant. Et quoniam necesse fuit novo huic populo velut jugum novæ legis imponi, non quo eorum colla deprimerem, sed ut mentium cervices potius inclinarem; regulam quæ ab eis pro lege servetur, licentia a vobis tam petita quam accepta, conscripsimus. In qua si quid severitate durum, si quid remissione mollissimum judicio

scientiæ adjudicaveritis, censuram manus vestræ pagina melius in quo diligetur placitura recipiet. Ut hoc multo magis gloriæ detur, quod digna inventa est regula, quam per vos correxistis, fugiendo a facie verecundiæ. Si vero, ut credo, judicium amoris operam veram infligere dignetur correctione litteræ, quidquid demum ineptum lectio incastigata protulerit, liberum a culpa erit erroris, cum libellum vestræ me constat subdidisse censuræ. Mibi tamen orandum est, ut imprimis Deo, deinde vobis illud placeat quod scripsimus, et illis quibus hæc servanda mandamus. Ut in nomine Domini Jesu Christi obedientes in omnibus divinis præceptis, æterna ab eis præmia, et gloria sine fine, bonæ tamen vitæ emptæ pretio vindicetur, præstante Domino ac Deo nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, dominatur et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

S. FERREOLI UCETIENSIS EPISCOPI REGULA AD MONACHOS.

Regulæ principium de his quæ observanda, monachis Ferriolacensis monasterii statui institutor; orans, ut adjuvante Domino hi filii quos fide Domino genui, hæc tota animi et sancta intentione servantes, optimo perfectoque vitæ cursu cælo, ut scriptum est, vim faciant, et mansiones præparent dignis se habitatoribus præparatas. Sicque fiat ut, sequendo Agnum quocumque ierit, ad hoc præsentia contemnant, ut futura diripiant.

CAPUT PRIMUM. De obedientia.

Primum ut monachus, quem proprie manet multas

in se virtutes ædificare, obedientiæ in se collocet fundamentum : ut impleat illa quæ B. Apostolus nos admonet observanda, quando præcepit dicens : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim expedit vobis (Hebr. xiii).*

CAP. II. De reverentia, quanta servatur.

Ut abbati omnimodis reverentia a cunctis amore servetur; ut et amor ostendat concordiam, et timor noverit disciplinam. Recte enim timetur ut dominus,

et amatur ut pater, cui sanctæ congregationis grege commissio animarum proprie cura mandatur : quem sollicitudo commissa quotidie per illud iter, quod est inevitabile morituris, aut trahit ad pœnam, aut perducit ad gloriam; dicente Scriptura : *Cui plus commendatur, utique plus ab eo exigitur (Luc. xii)*. Similiter etiam aperiens nobis Evangelio per similitudinem parabolæ veritatem, ubi legitur quinque servo talenta Dominus tradidisse; et quia superlucratu alia quinque, a Domino meretur audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis mihi, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui (Matth. xxv)*.

CAP. III. *De charitate.*

Tertio in loco propter ipsum etiam sacratum numerum Trinitatis, matrem omnium virtutum inserendam putavimus charitatem : quam Apostolus tali ante omnes virtutes laude prosequitur : *Charitas non agit perperam : charitas nunquam excidit (I Cor. xiii)*; et iterum : *Charitas cooperit multitudinem peccatorum (I Petr. iv)*. Huic ergo præcepto monachis convenit inhaerere, ita ut multi secundum beatum Apostolum unum corpus efficiantur in Christo (*I Cor. xii*), et impleatur in illis quod lectio Actuum apostolorum, quasi omnibus exemplo præmisso, specialiter tamen Religiosorum oculis anteponit : *Erat illis cor unum et anima una (Act. iv)*. Et illud in libro Psalmorum : *Deus, qui habitare facis unanimes in domo (Psal. lxxvii)*. Cavendum est ergo per omnia monacho ne aliquid simultatis aut odii vel corde gerat, vel opere proferat, vel ira victus ostendat : propter illud quod dicit Apostolus : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur (Jac. i)*; et illud sapientissimi Salomonis : *Ira in ventre requiescit stulti (Eccl. vii)*; nec non et illud Apostoli : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia (Ephes. iv)*.

CAP. IV. *Ne ulla mulier in monasterium ingrediatur.*

Illud namque statuendum opportune credimus, ut nulla penitus mulier ad monasterium, etiamsi pro dilectione expetere videatur, accedat. Similiter eam e iam religiosis feminis vel puellis, ne qua forte excusatio minus intelligentibus relinquatur, accedendi licentiam amputamus : quia non potest habitatio in longum esse segura, inimico proximo, vel hoste vicino : præ-ertim cum in dubium veniat, quis hoste publico et secreta pugna vincatur : ubi jam nihil aliud quam aut vincere sit aut perire. Sed longe a monasterio, quemlibet fratrum evidens causa colloquium cum feminis duntaxat honestis habere compulerit, sciente vel permittente abbate, et adhibitis testibus, id est, junctis secum duobus ex fratribus, accipiant licentiam colloquendi : ita tamen ut abbas causam de qua colloquutio extiterit, non ignoret.

CAP. V. *De eo qui monachus esse vult, qualiter recipiatur.*

Si quis veniat religionem expetens monasterium intraturus, nisi elapso prius uni circulo; vel certe,

si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex mensium dierum numerus compleatur, monachorum contubernio non jungatur : ut in tanto spatio ignorantibus qualis sit futurus ostendat; et diuturna observatione clarere possit, si quid secum crudelitatis attulerit. At vero quando prius ad monasterium venit, et recipi se in numero postulat monachorum, interrogetur utrum liber sit : nec abbati prima cum satisfecerit, subsecuta responsio adjiciat : si nulla præter devotionis causam compulsus monasterium duxerit expetendum. Post hoc monasterii regula abbatis ei jussione legatur : ut in posterum nihil novum vel inusitatum, aut si discersurus prætereat; aut si mansurus, agnoscat. Vicinam tunc monasterio cellulam, dum pernoctatum tempus observat, accipiat, victumque quotidianum a monasterio, si inter reliquos operetur, expectet : lectioni ante omnia et orationi datus operam, ut dignetur eum ille omnipotens scrutator animæ cognitorque secretæ familiæ suæ meritis sacræ congregationis annumerare, et fiat, sicut scriptum est, *unus grex et unus Pastor (Joan. x)*.

CAP. VI. *Ut nullus monachus vel clericus retinendus recipiatur.*

Monachum omnino sive clericum alterius loci vel monasterii recipi sub qualibet causa nolumus, interdicens, prohibemus : prospicientes talia studia charitatis, ne novum aliquid forte scandalum surgentes inducant. Dicit enim Scriptura : *Quidquid tibi non vis, alii non feceris (Tob. iv)*. Hinc enim plerumque non tantum inter abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur; dum unus nititur defendere quem suscepit, alter revocare quem perdidit : et ad extremum, nisi reddatur illi petitori petitus, et isti restauratio recepti placaverit injuriam acceptam, quam potest, fit, ut non secundum beatum Apostolum (*Rom. xii*), vincant in bono malum, sed utique mali vincantur uno malo. Attamen nec illud prætereundum censuimus, ut si forte alterius loci, ut supra dixi, monachus sive clericus scripta abbatis vel episcopi sui deferat, in quibus manifeste probetur, non propter vitia cavendus, sed propter charitatem Dei missus, ipse tantum socius fieri congregationis obtineat. Si tamen credi ullo modo potest, bono suo quemque velle exspoliari, et alium sua nuditate vestiri.

CAP. VII. *De murmuratione sive detractione monachorum.*

Ut nullius in congregatione murmur seu detractio, quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem aut quemlibet alium de fratribus audiatur : ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turbæ excitetur : et terram repromissionis, quam nos recte accipimus locum futuræ beatitudinis, perdat murmuratione propria, quæ debeatur sponse divina. Hic enim damnandos hujus vitii sectatores psalmus annuntiat : *Detrahentem adversus*

proximum suum occulte, hunc persequer (Psal. cx). Et iterum arguens Apostolus dicit: *Susurrantes, detractores, Deo odibiles* (Rom. 1). Et iterum, *Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam* (Jud. 16).

CAP. VIII. *De superbia vel elatione vitanda.*

Ut elatio superbiaque monachis omnino vitentur, ne jactantia cadat sui, propter Deum sublimitas deponatur. Abjectio et humilitas grandis altitudo est. Alias vero quid erit reliquisse sæculum, si a se ejus non absciderit vanitatem? Quid solitariam elegisse vitam, si intrinsecus tumeat corde? Quid humile inest profectus in capite, si cito a se hæc mala non rejiciet, qui vult invenire quo cadat, cavens terribile illud Scripturæ divinæ: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (1 Pet. v). Et illud: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc simul non edebam* (Psal. c). Et illud Apostoli non obliviosus auditor, qui dicit: *Hoc scitote, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; et erunt homines seipso amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii* (II Tim. iii), et reliqua quæ sequuntur.

CAP. IX. *De invidia.*

Invidiam, quod est maximum vitium, ante omnia monachus foribus mentis excludat, nec patiat virginitatem animi occulto livore corrumpi: ne in mente sua bonum semen sparsum enecat adulterina permixtio. Sed stet semper quasi fortis in acie, repugnans scuto charitatis armis invidiæ; et inde maxime superet invidum, quia non superatur invidia: non ignorans Scripturam, quæ dicit: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* (Sap. 11). Imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus.

CAP. X. *De eo, ne aliquid proprii sibi monachus vindicet.*

Illud etiam statui debere prospeximus, ut nullus monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum audeat vindicare; ita ut etiam in his quæ sua sunt nihil amplius credat sibi juris esse quam cæteris. Quia cum se ipsam alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmissit. Quidquid ergo secum rerum detulerit, expetito consortio monachorum, ac ubi corpori congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in communionem transiisse, et hoc tantum judicet proprium, quidquid enim fratribus possederit indivisum. Nam et lectio Actuum apostolorum tempore surgentis Ecclesiæ taliter fideles Christi vixisse commemorat: *Nullus, inquit, ex bonis suis dicebat aliquid suum esse; sed erant illis omnia communia* (Act. iv).

CAP. XI. *Ut nullus monachus litteras ignoret.*

Omnis qui nomen vult monachi vindicare, litteras et ignorare non liceat. Quin etiam psalmos totos memoriter teneat: neque se quacunque excusatione defendat. quominus sancto hoc studio capiatur. Si-

militer etiam his qui pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittentur, curæ erit vacare psalmis ut cæteri: ne in id quod majus est minores inveniantur, et in confusionem sui illud eis aptetur exemplum: *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (I Cor. 11).

CAP. XII. *Ut psalmi cunctis diebus in ordine psallantur.*

Ut omni tempore psalmi usque ad finem Psalterii in ordine decantentur: sibi tamen secretius propter propriam mercedem; excepto publico psallendi curæ dominico, quantum per singulos dies, Deo tamen scienter laudes offerat occulta ruminacione. Similiter etiam convenerit oratione subjuncta noctibus psal-morum frequentia vigilare, ut impleatur illud: *In die clamavi et nocte coram te* (Psal. lxxxvii); et illud: *In lege ejus meditabitur die ac nocte* (Psal. 1).

CAP. XIII. *De vigiliis.*

Quotiescunque vigilia nocturna propter exorandum Deum, aut devotione petitur, aut festivitate debetur, nullus monachorum, præter ægritudinem certam aut necessitatem, si præsens fuerit, absens esse præsumat. Ne interiori tudio gravius laborare consuescens vivente carne spiritualis anima moriatur: sed potius promissi illius cupidus querere simul et invenire contendat, qui dixit: *Diligam eos qui diligunt me: et qui mane vigilant ad me invenient me* (Prov. viii). Et in psalmo etiam continetur: *Tunc quærebant eum, et convertebantur, et ante lucem veniebant ad eum* (Psal. lxxvii). Nam ut quotidie ad matutinas omnes omnino surgant, si non censeatur superfluum, commonemus: ad nocturnas vero cunctis diebus ita omnes celeriter pariterque consuegant, ut cunctis simul concurrentibus nullus inveniatur venisse posterior. At vero qui contrarius huic deprehenditur status, tot diebus solus jejuset, quot horis cum fratribus vigilare non voluit.

CAP. XIV. *De vestimentis monachorum.*

Vestimenta supersufficientia monachus non requirat: qui non amplius quam quod ad quotidianum usum abbas necessarium viderit, consequatur; dicente Domino ad discipulos: *Neque duas tunicas habeatis* (Luc. ix): quas duas tunicas intelligere debemus non numero, si propter hiemem necessariæ esse videntur, sed supra usum si reservatæ fuerint, computari. Super ergo si quid fuerit, putabitur alienum: dum quidquid possessor avarus includit, magis utitur arca quam dominus: quod ut vitetur, maximus nobis beatus Apostolus testis assurgit, qui dicit: *Habentes victum et vestitum his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, et inutilia, et nociva: quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas: quam appetentes, naufragaverunt a fide, et immeruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehende ritum*

ait: *nam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi (I Tim. vi).* Studete ergo, fratres, ut quod ad unum hominem, id est, ad Timotheum scribitur, ab una congregatione servetur.

CAP. XV. Ut in monasterio nullus baptizetur.

Baptizari in monasterio parvulos tractavimus necessarium non esse, sicut in reliquis monasteriis observatur; neque monacho ullo loco de lavacro sancto filios cujuslibet excipere: ne parentibus illius, ut fieri solet, illicita paulatim vel turpi familiaritate jungatur. Quod si quis præsumpserit, ut transgressor regulæ corrigatur.

CAP. XVI. Ut cellam separatim præter abbatem nullus habeat.

Cellam singularem, præter abbatem, neque ad manendum, neque ad alium quocumque usum, ulli habere liceat monachorum. Artifices tamen ad operandum tantum habeant, hi nihilominus quibus abbatis ordinatione conceditur: nam totam congregationem mansio et domus una concludat. Illos vero quos corporea fragilitas debilitat, cognita sibi infirmitate languor obsederit, dum vigorem pristinum corporis integritate sumunt, deputata intra monasterium et non nisi congrua mansione a congregatione interim separentur: ut celerius salutem conferat ipsa quæ fit a congregatione remotio.

CAP. XVII. Ut præpositum vel formarium monachi sub abbatis potestate habeant.

Sub abbate personam strenuam et disciplinam valde amantem, qui dignam curam præpositi nomenque suscipiat, decrevimus pro solatio abbatis institui: ut honor illi minus sit onerosus, dum labore diviso a duobus quotidiana sollicitudo suscipitur. Et ideo æquum erit ut cum jussione abbatis ei veneratio et obedientia exhibeatur. Nam et post ipsum quem supra diximus præpositum, qui in bonis sit forma, statuimus regularem formare formarium: ut facilius adjutorio isto subjuncto abbas, cui nomen Pater est, uberes fructus metat de perfectione dulcium filiorum, ambo tamen sub potestate abbatis cum reliquis atque inter reliquos se esse cognoscant.

CAP. XVIII. De passionibus martyrum quæ inveniri possunt, ut tempore suo desidia non impediende legantur.

Gesta martyrum, id est passiones sanctorum fidelium, quædam compaginata studio et sermone digesta sunt, tempore quo nobis diem migrationis eorum anni meta cursus sui legibus repræsentat, recenseri in oratorio audientibus cunctis omnino decernimus: ut non otiose prætereat dies, atque ut reliquis similis habeatur; quem sicut tunc illustravit constantia martyris, ita nunc commendet memoria passionis.

CAP. XIX. Ut in manibus monachi frequens sit lectio.

Propter pigras mentes quorumpiam excitandas, quibus sæpe generat lectio divina fastidium, ita ut magis otio eligant occupari, quam de Scripturis sanctis salutem bibere, ut spiritualiter inardescant, ac diu omnino placuit, ut unusquisque monachus, sive intra monasterium seu foris aliquid operis faciat, a lectione divina ne una quidem die se patiatur transire jejunium. Seu cum cessaverit manus ab opere, colatur anima lectione: audientibus cunctis monita beati Pauli ad Timotheum discipulum, dicentis: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ (I Tim. iv).* Et iterum: *Omnia scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum paratus (II Timoth. iii).*

CAP. XX. De vagis sive fugitivis monachis.

Vagari per loca monachum sicut non decet, ita non convenit; ne in quocumque vitio captus sæculi delectatione elabatur, ut redeat ad vomitum suum: dum recidiva animi voluntate mundi vetus contemptior, novus quidam amator assurgens, a via salutis distortus exorbitet. Quapropter id delinivimus observandum, ut præter illos qui pro utilitate monasterii ab abbate huc illucque habere jubentur excursus, nullus egredi monasterium loco alio moraturus absque voluntate abbatis pro qualibet re vel necessitate præsumat, ne ad eum respiciat quod Apostolus de adolescentioribus viduis scribens dicit: *Simul autem et otiosæ discunt circumire domus; non solum otiosæ, sed etiam verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet (I Tim. v).* Et ideo qui prætermissa sententia aliqua contrarietate discesserit, in tantum ut ejus invenitur fuisse transgressor; spatio illo temporis quo monasterio defuit computato, duplici dierum numero jejundet, et condemnatione mulctetur; cibi modum, vinum quotidie abnegato, qualem abbas imposuerit, habiturus. Fugitivum vero monachum, deserentem disciplinam et perdentem se, velut contemptorem placuit revocare.

CAP. XXI. Ut frater fratri manus non injiciat.

Ut monachus in monachum ira inflammatus, quod est turpissimum, manus injicere non præsumat, præter illos ad quos pertinet correctionis vel nosse modum, vel tenere judicium; ne uno peccante cæteris præsumendi crescat audacia, et ita disciplinæ ordine confuso, irruptaque lege vivendi, ipsius sacræ religionis per singulos jura perdantur. Quapropter quisquis taliter incontinens manibus invenitur, ita ut nesciat ab illicitis temperare: manus illæ, quas erexit in proximum, per longum tempus non solum jejunio, sed etiam operis assiduitate lassentur; ut deinceps ad Deum levantur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. Dandam tamen veniam decernimus, juxta ut abbas moderari voluerit, postulanti: si poenitentia præmissa etiam dum deprecatur reatus sui, faciens lacryarum effusione rigaverit.

CAP. XXII. *Ut a convicio atque maledicto monachi
abstineant.*

Ut convicium sive maledictum ex ore monachi non procedat, neque lingua impatientiæ excitatione soluta effrenatum quid ministret ostiis labiorum, sed commotus ira, ut est humanitatis, dicat: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis (Psal. cxi).* Adjungat et illud: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea (Psal. xxxviii)*: habens illud Apostoli ante oculos suos: *Quia neque maledici regnum Dei possidebunt (I Cor. vi)*. Si quis ergo in his indomitus mente proruperit, triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus: donec cognoscens se tantummodo in congregatione solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.

CAP. XXIII. *Ut jurare monachus et desinat et desistat.*

Ut jurandi consuetudo ad integrum, si fieri potest, de monachorum interlocutione tollatur; ut etsi secundum humanam fragilitatem minus forsitan possunt mendacii cavere peccatum, possint saltem damnandum vitare perjurium. Quos rogo simul atque commoneo, ut studeant in usum habere verba sacra, ne unquam sint necessaria sacramenta. Quemadmodum enim hujus vitii debeant omnes vitare flagitium, beato apostolo monente didicimus; ait enim: *Nolite jurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem verbum vestrum, est est, non non: ut non sub judicio decidatis (Jac. v)*. Et illud similiter Scripturæ divinæ: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet de domo illius plaga (Eccli. xxiii)*. His namque magnis atque evidentissimis documentis etiam lectio Evangelii, quæ est maxima plenitudo, similiter attestatur, dicente Domino ad discipulos: *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolimam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non; quod autem his abundantius est, a malo est (Math. v)*. Sufficiat ergo nos propria inserenda monita exemplis docuisse vitanda.

CAP. XXIV. *Ut monachus raro rideat.*

Conveniens etiam hoc credo monachis, ut risu, etsi non assidue, frequenter tamen abstineant. Unde si exemplum legens fratrum quisque requiret, hoc solum ei sufficiat, quia Dominum nostrum Jesum Christum, Evangelio teste (Joan. xi), flevisse legimus, risisse nescimus; tristatum fletibus, risibus non solutum. Attamen, ne quispiam dicat nullum nos præter hoc habere testimonium lectionis, Salomonem dicentem audiat: *Risus dolore miscebitur; et extrema gaudii tactus occupat (Prov. xv)*. Et iterum: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientis, ubi tristitia est: et cor stultorum,*

ubi lætitiu (Eccli. vii). Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite subridebit (Eccli. xxi)*. Quicumque ergo ille in congregatione constitutus, ut assolet, aut mente juvenis aut ætate risibus, joca non fugerit, quid aliud nisi publicanum commutat ex monacho? qui in civitatibus amplius populosis hanc sibi tantum operam deputant, vacare jocis, plausibus et cachinnis. Specialiter tamen hoc cunctos moneo, servandum mando atque constituo, ut quotiescunque lectio animabus Dei deditis opportuna in ecclesia vel in refectorio, aut quolibet in loco publice recitatur, nullus risu aut moveatur aut moveat. Similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant. Quod si quis non custodierit præsentis denuntiatione commotus, triduum cum jejunii multatio castiget. Quod triduum neminem volumus sub uno adimplere jejunio, ne in aliquo discretionis careat disciplina: sed tria jejunia vespertina jubemus quotidie refectione distingui. Hoc etiam de reliquis jejniis, quibus regulæ culpabiles corriguntur, statuimus observari: ita tamen si in reo quolibet monacho abbas superbiam duritiæque non viderit.

CAP. XXV. *Ut turpiloquium monachus omnino fugiat.*

Turpiloquium amore pudicitiae sit monacho turpe proferre vitando verba luxuriæ, quæ ut mentem excitant, ita corpus inflammant. Ait enim beatus Apostolus: *Deponite malitiam, blasphemiam, turpem sermonem, de ore vestro (Colos. iii)*. Interrogo ego, fratres, quid ille minus facit adultero, cujus communicat lingua peccato? Quid luxuriæ minus exercuit, qui os castum sermonis corruptione foedavit? Et ut hanc spurcitiæ cunctis etiam cavere metus damnationis imponat, statuimus hujus culpæ reum communicationem dominicam, vel osculum fratrum sex anni mensibus non habere.

CAP. XXVI. *Ut quotidie usque ad tertiam monachi
legant.*

Ut usque ad horam diei tertiam in omni tempore lectioni monachus tam senior quam extremus vacare procuret, et sic demum in reliqua parte diei deputati operis cura succedat, præter ægrotos tantum, quibus imponi hoc supra propriam voluntatem, vel potius virtutem communis infirmitas non permittit. Nam et hi quibus fructuum colligendorum tempore ab abbate fuerit imperatum, ut matutinis horis operis aliquid vel laboris exercent, hac lege non tenebuntur: neque huic definitioni putabuntur exstitisse contrarii, cum imperata sibi utilitatis causa compleverint. Etenim moris est agricolis ut vix reddito adhuc mane arida frumenta, non nisi deciduo madida facta rore, succidant, ut lætam minus segetem facilius fervoribus insecutoribus eripiant, dum in exordio diei blandi aeris temperamenta custodiunt. Sæpe enim ex industria factum scio, ut dubia adhuc luce, priusquam, ut dicere possumus, orbe solis ardor ebibit redactam in manipulos segetem, ignei ubaris flammam

cum fructibus mensura ejus evaserit. Hoc ergo etiam a monachis qui operi insistent, ut superius diximus, fuerit observatum, non erunt pronuntiandi pro compendio operis regulæ transgressores.

CAP. XXVII. *Ut ante tertiam nullus monachus manducet aut bibat.*

Ut ne quis de monachis, præter infirmos, antequam hora diei tertia compleatur, quamvis supervenientis cujuslibet proximi vel amici gulæ potius exquisita occasio fulciatur, manducare vel bibere aut rogans præsumat, aut rogatus, illo duntaxat tempore quo jejunia solita remissione solvuntur. Post hanc vero horam deliberationem comedendi usque ad sextam, si vel amicus ejus vel stomachus permittit, extendat. Sed in hac refectione unum vel duos fratres socios sibi, et quærat et faciat, ut, dum videtur, ista communicatione atque humanitate sit publicus, non appareat furtive suppositus.

CAP. XXVIII. *Ut monachus quotidie operis aliquid faciat.*

Monachum, absque certis solemnitatibus vel manifesta ægitudine, diem sine operatione transigentem a convivio decernimus excludendum, jubente beato Apostolo: *Qui non laborat non manducet*. Secuturas tamen excusationes inutilium prævidemus, et propterea modum ponimus otiosis. Dicturus est enim unus ex talibus: Ego non possum operari, quia amisso robore juventutis sum ad omnia senex invalidus; alius: Neque ego possum, quia sum infirmitate jam fractus; dicturus est etiam tertius, si potuerit inveniri: Non possum etiam ego, quia laborum me assiduitas contrivit, itinerum longitudo quassavit, fortitudinem mihi abstulit sollicitudo commissa, virtutem meam actio exspoliavit imposita. Sed his quasi contrarius sermo rationis occurrat, revincens eos et dicens: Ut quis non valet insistere operi, det promptius operam lectioni: quicumque agrum non excolit, Deum dupliciter colat; et inter reliqua etiam hanc quærat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non præscribit aratro. Nullus ergo, si quominus opera faciat, putet causam justæ excusationis afferre: quia qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, rete texere, calceamenta fratribus præparare vel reliqua, quæ similia sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur opere, favorem cum improprio sustinere contentus sit.

CAP. XXIX. *Ut monachus parce loquatur.*

Ut loquendi temperantiam monachus in omni colloquutione teneat: propter quod dicit Scriptura: *In multiloquio non effugies peccatum* (Prov. x). Et iterum in Evangelio: *Noti multum loqui, sicut ethnici* (Matth. vi). Habetur etiam in psalmo: *Vir linguosus non dirigetur super terram* (Psal. cxxxix). Et ideo quisquis ille frater, sint pauci sermones tui. Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi præsentia abba-

PATROL. LXVI.

tis vel etiam alterius senioris imponat: ita ut nix interrogatus ab eo vel jussus silentium irrumperere non præsumas, obediens Scripturæ, quæ dicit: *Præquam aures, ne respondens; et in medio seniorum noti te injicere* (Eccli. xxxii). Quod etiam in convivio apertissime pronuntiamus esse servandum.

CAP. XXX. *Ut abbas absque voluntate sua nihil operis faciat.*

Ut abbas si non operetur ut cæteri, nemo audeat reprehendere: quia lectioni eum magis vacare convenit, qua quotidie cæteros doceat, qua commissos creditos reddat, qua cunctos sancta semper admonitione componat. Studere tamen eum oportet, ut quoties codex manibus non tenetur, secundum vires suas reddat se in qualibet fratrum operatione communem: ut etsi otiosum quicumque dicere non audeat, fastidiosum tacendo non murmuret.

CAP. XXXI. *Ut monachis tunica lineæ uti non liceat.*

Ut monachus quamlibet delicati corporis lineæ ad nuda corporis non utatur: quia incongruum est ut carnem, quæ semper vitio naturæ superbit, mollibus foveat indumentis, et ei quasi minus validæ blandiatur; quæ quotidie in expugnationem animæ novus quidam præliator ac fortissimus commovetur. Etenim toties reparat vires contra animam bellatura, quoties aliquid velut rebelle mancipium remissionis acceperit. De hoc namque certamine beatus Apostolus dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum* (Gal. v). Et iterum: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis* (Rom. vii). Et iterum: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanae qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. xii). Et iterum: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificetis, vivetis* (Rom. viii). Quicumque ergo vitam illam diligit, carnem conterat morituram; et in tantum eam quotidiano luctamine arduis quibusdam vinculis disciplinæ, velut impiger semper debellator afficiet, ut adversum animam de modica quidem remissione configat, secutus Apostoli magisterium vel exemplum, ita dicentis: *Castigo corpus meum, et in servitatem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (I Cor. ix).

CAP. XXXII. *Ut vestimenta monachorum odores non habeant exquisitos.*

Vestimentorum fragrantiam vel nimium propter gratiam nitorem monachus studeat non habere: sed sequens melius Apostolum dicentem: *Bonus odor sumus Jesu Christi* (II Cor. ii), colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem sæpe species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet ac habere non ambiat: ne et jactantia suæ secum testimonium ferat; et, quod adsit, dum corpus vestimentis cito consumendis adornare temporaliter elaborat, de animæ, si qua æterna esse

poterant, ornamentis non curet. Etenim ista facientes taliter Scriptura divina castigat: *In amictu vestimentorum ne glories, et in die gloriæ noli extolli* (Eccli. xi). De calceamentis vero reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem monachorum. Sed et hoc curandum est, ut pes ita sit ligamenti temperatus, ut non jactantiæ signo multos asstrictus habeat, sed sanctius vinculo laxiori follescat: ut in omnibus simplicitas sanctitate socia commendet Deo, quem ejus amore possessum, probatum sæculi viderit contemptorem.

CAP. XXXI. *Ut monachi lecta singulariter habeant.*

Ut duo, quamlibet proximi vel amici, propter secretam orationem, quæ melius ad Dominum nullo teste dirigitur, ut animo et uno lecto non teneantur: ut majorem licentiam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ aut testem pertimescat, aut judicem. Vigilando ergo, orando atque psallendo curet unusquisque minimam noctis somno cedere portionem; ut non decipiatur ab iniunco, qui est liber a socio: quia omnino non potest cubile proprium nisi vigilans vindicare. Imitandum etiam videtur quod propheta nobis sub quadam admonitione decantat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (Psalm. vi). Et iterum: *In noctibus exollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino* (Psalm. cxxxviii). Et illud: *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* (Psalm. cxviii). Hoc ergo ut devotus quisque vacatione concessa utilius possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit solus ipse possessor, habens secum meliori commutatione pro dormitorio fratrem Dominum vigilantem.

CAP. XXXIV. *Ut monachus non venetur.*

Inter cæteras mundi delectationes noverit sibi monachus venationem exercere prohibitum, nec habendum cum feris periculosum sine utilitate certamen: cum scire potius debeat vitia pro bestiis esse mactanda. Et ideo non eam consuetudo loci, vicinitas opportunitasque silvarum, pervius etiam vel facilis ascensus montis, concava vallium, secreta nemorum, densa terrarum tam infructuosi laboris opus subire sollicitent. Oportet enim ut memor Apostolicæ sententiæ damna religioni non inferat, ita monentis, ut unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat apud Deum (Ephes. iv). Bonum ergo vitæ suæ cursum cursibus vanis perire judicet, et se damnosum caveat; ne postponens monachum, ferarum et ipse captione capiatur, et sæcularibus desideriis irrelitus, venator agrestium bestiarum adversarii fiat et ipse venatio. Sed soli Deo vacandum congaudeat, quem expetit; illi serviendum jugiter, quem elegit: sciens quod taliter præcepto evangelico convenimur: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Matth. iv). Et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Psalm. xxvi). Studebit ergo, prætermisiss omnibus, qualiter ipsi omni servitio placeat jugiter:

ut faciat illum regni sui participem, quem totum suum videt esse cultorem. Attamen nec illud putavimus omittendum, ut si forsitan feræ, quæ sunt violentiores, quærenti proprio labore victum insidientur in fructibus, eas pro damnis tantum fructuum vindicandis, canum sævitia oportere deterreat, quas potius effugare quam persequi delectetur; ut non venationis, sed fructuum magis amator appareat.

CAP. XXXV. *Ut monachus nec pomis tangere absque ordinatione præsumat.*

Quicumque monachus cujuslibet generis pomum inordinatus hærens adhuc arbori suæ tantum edacitatis causa decerpserit, vel si terra collapsum, seu reliquorum fructuum, ut assolet, primitias ausus fuerit gulæ incontinentia violare, veluti Adæ primo homini similis, simili quoque castigata edacitate jejunio digne pœnitent; quasi ad vicem paradisi convivio putetur indignus. Et nisi prius omnium fratrum remissione consequatur veniam, venire non permittatur ad mensam; quia justum est, ut cunctorum indulgentiam postulet, qui omnibus quod erat commune subtrahit. Cunctis ergo studendum est, ut omne quod in escam constat hominis deputatum, si alicui ex fratribus accipere vel etiam invenire contigerit, priusquam aut mensæ inferat, aut cellario tradat, omni fide conservet intactum; vitans ne communem omnibus cibum gustu sibi ipse furetur; et cum nullus illi comes adhæreat, ad perdendam tamen innocentiam, vel ad exercendam prædam sit illi gula pro socio. Quapropter erit congregationi semper una proprietas, ita ut cuncta omnium, et omnia sint cunctorum.

CAP. XXXVI. *Ut abbas manumittere mancipium monasterii non præsumat.*

Mancipium monasterii liberum facere abbas absque consensu omnium monachorum licentiam non habebit, nisi ut tradat cunctis fratribus in præsentem ejus meriti vel ætatis de propria facultate vicarium: quia non potest multorum servus unius ad ingenuitatem remissione transire, nec libertus fieri, quem omnes unanimiter non absolvunt, cum manifestum sit, illum tot dominos habere, quot monachos.

CAP. XXXVII. *De eo, qualiter abbas conversari debeat.*

Ut abbatem cunctis quibus præest monachis strenuitas quidem, sed mansuetudo, et potius vita commendat, ita ut magis sanctum illum timeant, quam severum: et plus in eo metuant quod meritis est primus, quam quod honore primarius. Habeat enim in correctione modum, et in familiaritate temperamentum: eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut blandimento vocet, terrore castiget; faciens se ab omnibus, eo quod vitia oderit, plus amari. Totum enim ejus conversatio erit quasi positum fundamentum, ut in eo superædificetur quisquis imitatione illius optat Deo meritis proximare. Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus: nec tamen quisquam illi ita familiaris, ut cæteris plus præsumat; neque ita offensus, ut ad veniam expleta con-

tritione non redeat. Convenerit namque illi omnes A
 timere, qui timetur ab omnibus, totoque studio atque
 industria providere, ne aliquis ex his quos regendos
 propria cura suscepit, adverso quolibet casu discedat
 ex numero. Et ideo plurimis medicamentis necesse
 est illum monachorum subvenire languoribus, et
 ægrotudinibus mentium remedium curæ spiritualis
 inferre: hoc est, si superbum viderit, jugi exhorta-
 tione porrigat humilitatis potionem; si iracundum,
 patientiæ illi offerat unguentum; si mendacium se-
 ctantem, veritatis ministret antidotum, beati in hoc
 ipsum Apostoli monitis excitatus, qui dicit: *Attende*
tibi et doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, et
teipsum saluum facies, et eos qui te audiunt (II Tim. iv).
 Et iterum ad Timotheum: *Formam habe sanorum*
verborum quæ a me audisti in fide et dilectione in
Christo Jesu (II Tim. i). Et iterum: *Tu vero vigila,*
in omnibus labora, opus fac Evangelistæ; ministerium
tuum imple (II Tim. iv). Similiter et beatus Petrus
 scribit: *Seniores qui in vobis sunt obsecro, consenior*
et testis Christi passionum, et ejus quæ incipiet revelari
gloriæ socius, pascite qui in vobis est gregem Dei
(I Petr. v). Et addidit: *Neque quasi dominantes in*
clero, sed forma estote gregi; ut cum apparuerit prin-
cipis pastorum, percipiatis illum floridam et immarces-
cibilem gloriæ coronam. Jeremias quoque sanctissi-
 mus in persona Domini ait: *Dabo vobis pastores se-*
cundum cor meum, et pascunt vos scientia et doctrina
(Jer. iii). Et iterum: *Hæc dicit Adonai Dominus ad*
pastores Israel: Nunquid semetipsos pascunt pasto-
res? Et adjungit: Ob hoc, pastores, audite verbum Do-
mini, hæc dicit Adonai Dominus: Ecce ego ipse ad
pastores, et requiram oves meas de manibus eorum
(Ezech. xxxiv). Dominus vero idem in Evangelio
 Petrum apostolorum principem si se amaret interro-
 gans adjungit: *Pasce oves meas (Joan. xxi).* Mani-
 festum ergo est, frater quisque ille præesse videris
 monachis, magnum tibi per honorem onus imposi-
 tum; ita ut cum dignitate sis primus, desudes om-
 nium pondere sarcinatus. Propter quod recti itine-
 ris corre semitam, quæ ad cælum perducit; et ire os-
 tende gregi inoffensum callem, et sanctitatis eum
 quoque passibus antecede: atque ita stude, ut non
 erret quicumque te ducem gradibus imitationis inse-
 quitur; ut videaris apostolicæ monita sententiæ com-
 plesse, quæ habet: *Exemplum esto fidelium in verbo,*
in conversatione, in charitate, in fide, in castitate
(I Tim. iv). Et iterum: *Sollicite cura teipsum pro-*
babilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte
tractantem verbum veritatis (II Tim. ii). Hunc itaque
 tibi, abbas, titulum, ut prætermissum te Regulæ ser-
 mone non doleas, sicque unum te ex congregatione
 cognoscas, quasi peculiarius annotamus: monentes,
 seu coram Deo obsecrantes ut hæc omnia ferventi
 studio servans, etiam cætera propter exemplum,
 quæ reliquis sunt dicta, custodias.

CAP. xxxviii. *Quibus temporibus abbas coquinæ ob-*
servet, similiter et lavandis pedibus.

Abbas tribus per annum vicibus, id est, die natalis

Domini, similiter primo Paschæ, nec non in festivi-
 tate peculiaris patroni, sancti ac beatissimi vene-
 randi semper martyris Ferreoli, aut certe quidem ad
 quorum nomina sanctorum idem locus consecratus
 fuerit, coquinam cibos congregationi paraturus In-
 troeat; ibique suscepto junioris ministerio serviendo
 mensis humilitatis formam ministret in ferculis;
 sanctæ huic abjectioni se libenter inclinans, quæ ma-
 jorem illum producit cæteris, dum reddit æqualem.
 Tantum enim magis in cunctis ejus potestas accipit,
 quantum ad inferiora ministerii paritate descendit.
 Lavare vero pedes fratrum, sive etiam peregrinorum,
 divinum imitatus exemplum, sæpius studebit; im-
 plens dominicum mandatum, et tradens monachis
 operibus potius quam verbis exemplum. Nam et Do-
 minus in Evangelio discipulis ait: *Si ego lavi vestros*
pedes Dominus et magister, et vos debetis alter alterius
lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemad-
modum ego feci vobis, ita et vos faciatis (Joan. xiii).
 Abbatem ergo ista facientem, atque in hujus tituli
 observatione communi omnes monachi sequacibus
 animis imitentur: in tantum, ut temporibus dispo-
 sitis vicibusque discretis de ciborum præparatione
 solliciti serviant sibi invicem, atque alterutrum sub
 æqualitate ministerii dominantur.

CAP. xxxix. *Castigatio monachorum de multis exces-*
sibus.

Multis hic titulus monitis negligentias monachorum
 castigare suscepit. Nec tam personas exigit damnare,
 quam culpas. Mundos ergo illos et velut defecatos a
 vitiis omnium reddat inquinamento amor sancti-
 tatis, ambitio perfectionis, expectatio veritatis, pro-
 missio gloriæ, perennitas vitæ, et illa, quam credi-
 mus, habitatio cum auctore; de qua sic dicit Apo-
 stolus: *Rapiemur in nubibus obviam Domino, et sic*
semper cum Domino erimus (I Thess. iv).

Correctionis igitur sermo ad eos qui inter fratres
 jurgia seminant hic est: ut si a via tam perversa
 fides non traxerit, non tantum sententia abbatis, sed
 etiam cunctorum odio feriantur, donec consuetum
 errorem relinquunt. De quibus Lucas evangelista Do-
 minum dixisse commemorat: *Impossibile est ut non*
veniant scandala: vae autem illi, per quem veniunt:
melius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum
ejus, et projiciatur in mare (Luc. xvii).

Ad illos vero qui, post correctionem impugnantes
 judicia seniorum, nituntur excusare peccatum, et non
 ad pœnitentiam recordatione delicti, sed ad duritiem
 indignationis nimium migraverint, respicit ista sen-
 tentia, ut quoad a præposita intentione revocentur,
 et tumorem mentis manifesta emendatione deponant,
 secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subiaceant
 disciplinæ, quia non dixerunt: *Peccatum meum ego*
agnosco (Psalm. l): sed dixerunt, quod in Isala pro-
 pheta de rebellibus legitur: *Nullus est qui agat pœni-*
tentiam super peccatum suum, dicens, Quid feci
(Jer. viii).

Illi namque qui se prioribus anteponunt, et alio-
 rum loca non erubescunt vitio elationis invadere.

ac præceptis dominicis contradicunt, quibus ita jubemur : *Quicumque valuerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (Matth. xx), abbatis vel etiam reliquorum increpatione confusi, ad locum proprium quem reliquerant revocentur : quos ad majorem gradum tardius decernimus promoveri, ne addita dignitate radicata in eis præsumptio convalescat.

Illud itaque statuimus, ut, ad mensam fratribus congregatis, de his quæ apponuntur nemo alterius aut præsumat aut rapiat portionem, ne frequentius cæteris manum proprosi importunus immergat, propter illud Apostoli : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (I Cor. xi). Et iterum : *Esca ventri, et santer escis : Deus autem et hunc et has destruat* (I Cor. vi). Et iterum : *Non est regnum Dei esca et* B *votus : sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (Rom. xiv). Et iterum : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri* (Rom. xvi). Et iterum : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (Phil. iii). Legimus etiam in psalmo, quod longe etiam a monachis : *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum et ira Dei ascendit in eis* (Psalm. lxxv). Quicumque ergo hujusmodi transgreditur statutum, abbatis judicio constabit, quantis jejuniis mensæ violentia judicetur.

De ebrietate vero superfluum puto monachum commoneri : cum, vel si parum vini accipiat, a præposita corporis contritione declinat. Attamen quia latere monachos non poterit quod Apostolus Timotheo scribit, dicens : *Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (I Tim. v) : quantum eis, secundum vires monasterii, per singulos dies jussu vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant, et amplius penitus non requirant. Hoc etiam de reliquis stipendiis statuimus observandum. Nam ebrietatem illis etiam qui sæculo vacant prohibitam Scripturæ testimoniis approbamus, scribente Apostolo Ephesiis : *Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria* (Ephes. v). Nec non et Propheta : *Væ qui fortes sunt ad bibendum vinum, et potentes ad miscendam siceram* (Isai. v). Et iterum : *Væ qui consurgunt mane, et sectantur siceram : qui expectant vesperam, ut vino æstuent*. Et ideo monachum si ebrium, quod dici nefas est, videri aliquando contigerit, zelans illi plenus ira præcipio, ut triginta diebus a vini potatione suspendatur : quatenus anima infusione congesta digestionem hoc spatio vacuetur.

Illos igitur monachos, quos vel unius diei finis

A discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium, quam sol cognoscat occasum ; qui dicenti Apostolo : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. iv), per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat : sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fuit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis coram astantibus veniam invicem postulent : quia uterque reus diuturna simultate notatur, dum aut unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo iste impius, ille remansit impoenitens : hic damnandus post iram, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat ; sed cito ad illud recurrat exemplum : *Dimittite, et dimittetur vobis* (Luc. vi). Et illud Apostoli : *Induite vos, sicut electi Dei et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (Col. iii). Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur : *Facit Dominus judicium injuriam patientibus* (Psalm. cxlv). Et alibi : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet* (Gal. vi).

Furti scilicet conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum, secundum flagello subdi, et magna censi afflictione jubemus ; dantes illi unam cum fornicante sententiam, quia et ipse luxuriatus est cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per Prophetam : *Non est scientia Dei super terram* (Ose. iv). Et paulo post : *Furtum et adulterium inundaverunt*. Et iterum in psalmo : *Si videbas furem simul, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (Psalm. xliii). Legimus etiam in Evangelio Dominum dixisse : *Fornicationes, furta ; et nec moratus addidit : Hæc sunt quæ coinquant hominem* (Matth. xv). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur et pœna.

D Et ne aliquid, dulcissimi in Christo fratres, de his quæ suprascripta sunt per oblivionem sitis negligentes, cunctis in unum positus semel ea in triginta diebus relegite, hoc est, in calendis.

DE TARNATENSI MONASTERIO EJUSQUE REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

Jos. Simler. descript. Vallesis lib. i : *Sub Octiduro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur, Juviana, Serventia, Verosa, mox Tarnadæ oppidum. Tarnadæ autem Antaninum seculi oppidum hoc nominamus : veterum plerique Agaunum nominarunt. Exstant hoc loco vetustissimæ inscriptiones, quæ antiquitati testimoniam perhibent. Hoc loco a Maximino imperatore legio Thobæ, cujus dux erat Mauricius, propter confessio-*

nem nominis Christi cæsa est. Ab eorum martyrio annis circiter 220 cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus rex Burgundiorum, Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis et aliorum episcoporum, oratione impulsus, eodem loco in honorem martyrum cœnobium celebre construxit ; oppidulum Tarnadæ juxta positum manibus ampliatæ cœnolio conjunxit : ab eo tempore